

125

123

129

119

134

114

174

074

224

024

Ende

Anfang

110

Europam, ab oriente Asiam, ad austrum Africam. Unde peregrinus, qui ad S. Katharinum transit, tres illas mundi partes attingit in mari. In Europa enim navigare incipit, et in Creta et Rhodo et Cypro Asiam tangit, dum vero in Alexandriam Aegypti pervenit, in Africam erit. Nilus enim dividit Asiam ab Africam, in cujus Africana parte est Alexandria. Porro mare nostrum continuatur cum duobus praefatis maribus, et sunt eadem aquae oceani pontici et maris mediterranei. Nam ex oceano ab Hispaniis profunditur, Galliam, Italiam, Siciliam, Cretam et usque in Aegyptum pertransit. Brachium autem illud, quo in Hispania oceano jungitur, vocatur vulgariter strictum de Maroch, et dividit regnum Marochiae, quod est in Africam, ab Hispania; inter quas regiones effluit mare mediterraneum ex oceano per praefatum brachium, quod in latitudine vix habet quartale miliaris. Stant enim foeminae lotrices in utraque parte, paganae in Maroch, christiana in Hispania, et corixantur, et ibi dividitur Africam ab Europa. Altero vero ejus brachio, quod Helle-spontus dicitur, alias brachium S. Georii, continuantur cum mari pontico, et hoc brachium dividit Europam et Asiam minorem, quae jam Turcia dicitur: quia Turcus totaliter eam cepit. Vulgares tamen nominant hoc brachium Buccam constantinopolitanam, eo quod super ipsum in litore Europae civitas Constantinopolis est situata. Ubi vero hoc brachium derivari incipit a mari mediterraneo super litus Asiae minoris, dicitur fuisse Troja illa antiqua et potens civitas constituta. Veritas tamen certa de hoc non habetur, quod Troja ibi steterit. Ideo recte dicitur mare nostrum mediterraneum, quia et terrae mediae interjacet, et medium inter alia duo maria tenet. Ad ista tria maria omnia flumina nobis nota decurrunt. Danubius noster omnia flumina montium rhaeticorum contra orientem tendens secum dicit in mare (43 A) ponticum, quod alias dicitur Euxinus. Rhenus in ipsis rhaeticis montibus oriens contra occidentem tendit, secumque infinita flumina in oceanum pertrahit. Rodanus cum Reno in origine socius, contra meridiem currens secum reliqua flumina in mare Tyrrhenum pertrahit. Sic Athesis ex alpibus et Padus et Brenta trahentes originem, in mare mediterraneum decurrunt.

